



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

Figuræ, Symbola. Ex Veteri, & Novo. Ex Patribus, & aliis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

quia dies festus est dies quietis; dies Nativitatis fuit dies laboris. S. Vinc. Ferr. f. 2. Dom. 20. Pent.

S. Ignatius M. ep. 3. ad Magnesianos, Dominicam Resurrectionem vocat Regalem, eminentissimam omnium dierum.

Inter omnes dies, quos multis modis honorabiles habet Christiana devotio, nullus est excellentior festivitate Paschali, S. Leo f. 10. de Quadragesima.

Hæc nobis festivitatum festivitas, & celebratum celebritas; tantò ceteris omnibus antecellens, quantò sol stellis antecellit. S. Gregor. Naz. or. 42. in Pasch.

Hæc dies vocata sancta; hæc una Sabbathorum; regina, ac domina; festorum festum; & celebratum celebritas. S. Joan. Damasc. de Dom. Pasch.

§. VI.

Varia in Resurrectione Christum concernentia.

Filius hominis traderetur &c. Matth. 20. 18. q. d. ò mea caro! quam atrociter habebis ab hominibus! at *tertià die resurget.* Perfer ergo, & obdura: triduo enim, postquam hæc sustinueris, tam elegans fuscitaberis, tam pulchra prodibis; ut sis horrore inferis, tormento demoniis, stupori tuis hostibus, solatio meis Discipulis, gaudio cælis, jubilo terris, levamini afflictis, futura. Did. Nils. in festo Resurr. D. §. 3.

Non bibam de hoc genimine vitis &c. Marci 14. 25. Patris regnum, suam appellat Resurrectionem; per hanc enim, & ipsi regnum obvenit, & ceteris hominibus ejusdem regni societas obtigit. Victor. Antioch. hic.

Resurrectionis gloriæ sepelivit morientis injuriam. S. Chrysost. f. 75.

Veris tempore Deus condidit Mundum - Filius Dei, per quem facta sunt omnia, eodem die, eodemque tempore, prostratum Mundum propriâ resurrectione resuscitat; quò eum priùs

creaverat ex nihilo: ut omnia reformarentur in Christo, quæ in cælis sunt, & quæ in terra, S. Gaudentius tr. 1. in Exod.

§. VII.

Varia in Resurrectione homines concernentia.

Avete. Matth. 28. 9. Oportebat primùm muliebrem sexum ab Angelo bonum Resurrectionis accipere nuntium, & Dominum videre, & primam ab eo vocem audire, *avete:* quoniam mulier prima quoque audiverat fraudem serpentis. S. Gregor. Nyss. or. 2. de Resurr. Ambigere aliquis non injuriâ poterit: quamobrem Discipulis; Petro, dico, atque Joanni; Angeli non apparuerunt? mulieri autem & apparent, & loquuntur. Resp. Discipulos rerum exitus Scripturæ, Christi; prædicationibus conveniens, ad firmissimam fidem induxit. Supervacaneum igitur erat, firmiter credentes voce Angelorum doceri. Mulieri autem penitus necessarium; quæ nec literas sciret, nec aliò modò, sublime Resurrectionis mysterium percipere posset. S. Cyrill. l. 12. c. 46. in Joan.

Virtute magnâ reddebant Apostoli testimonium Resurrectionis Jesu Christi. Act. 4. 33. *vendentes offerebant pretia.* v. 34. Ad unum evibratum Resurrectionis jubar, pecuniæ mox omnes projectæ, & conculcatæ, Miraberis ferrum non timeri: plus miror, aurum non amari. Jerosolymis & cædi optabant, & ditari negligebant Christiani: facti, exemplò Christi, de sua resurrectione securi. Mors auri resurrectio est. Oliva fer. 3. Pasch.

Moriendum est diabolo, & vivendum Deo: deficiendum iniquitati, ut justitiæ resurgatur. Occumbant vetera, ut oriantur nova. S. Leo f. 9. de Pas. Dom.

Mors Christi exemplum fuit, ut peccato moriamur: & Resurrectio ejus exemplum fuit, ut justitiæ vivamus. Innocentius P. III. de Sac. alt. myst. l. 4. c. 35.

TITULUS XIV. RESURRECTIO HOMINUM.

*Figura, & Symbola.**Ex Veteri, & Novo.*

Florete flores quasi lilium. Eccl. 39. 19. Anagogicè nosse Pineda l. 6. de reb. Salo. c. 5. hæc verba Syracidis refert ad gloriam, & jubulum beatorum, in cælo. Lilium enim est symbolum stolæ candidæ, resurrectionis, & dotis claritatis. Unde Angeli post Resurrectionem Christi, ut eam suâ specie adumbrarent; apparuerunt in vestibus liliatis, id est, candidis & splendidis. Matth. ult. v. 3. & Marci ult. c. 5. Hinc S. Hilarius in Matth. 6. 28. docet, lilia esse Symbola angelorum, & angelicæ claritatis. Hinc & in officio Ecclesiastico Martyribus accinit Ecclesia: *Sanctorum velut aquila juvenis renovabitur; floreunt sicut lilium in civitate Domini.* Et tempore Paschali: *Sancti*

tui, Domine, floreunt sicut lilium; & sicut odor balsami erunt ante te. Alleluja! Cornelius hic.

Evomuit fonam in aridam. Jon. 2. 11. Jonas non verbis Dominum prædicavit, sed passionibus imitatus expressit: non vocibus sepulchrum Dominicum prænuntiavit; sed in ceto sepultus, & post triduum sine noxâ redditus, cunctos docuit mortales, immortalitatis januam esse mortem; ac de sepulchro vitam erumpere. S. Basilii Seleuc. or. 2. in Jon.

Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Matth. 9. 6. Anagogicè: dicit in Resurrectione Dominus: *surge à mortuis; tolle lectum,* id est, corpus gloriosum; *& vade in domum tuam,* id est, æternam mansionem. Cornelius hic.

In regeneratione, cum sederis Filius hominis

nis. Sc. Matth. 19. 28. Si carnis nostræ resurrectionis quasi quedam nativitas non esset; de ea veritas non dixisset: in regeneratione &c. S. Gregor. Mor. l. 4. c. 21.

Plurima autem turba straverunt vestimenta sua &c. Matth. 21. 8. Beatus ille introitus designatur per pueros Hebræorum: designatur per eisdem resurrectionis dormientium beatorum. Quid denuntiant egressi de domibus pueri? nisi Fideles egressuros de sepulchris? Quid occursum eò declaratur? nisi quod ait Apostolus: nos, qui vivimus &c. 1. Thessal. 4. 14. Erimus quidem cum Domino; sed si nos Dominus, non Spiritu, sed malitiâ, pueros invenit; si palmas in manibus, si flores, insperet. Rami palmarum signum victoriæ sunt; in floribus virtutum jucunditas ostenditur. Hildebertus Turon. f. de Resurr. humana.

Postquam consummati sunt dies octo. Luc. 2. 21. Per octavam diem resurrectio figuratur, S. Laurent. Just. f. de Circumcis.

Ut gustavit - aquam vinum factum. Joan. 2. 9. Cum ex illa vili aqua vini optimi saporem voluit gustare convivas, magis voluit ex hac vili carne Resurrectionis celestis sapientiam gustare Credentes: nam hoc signum totum utiq; Resurrectionis mysterium continet. Aqua enim vilis, pallens, & frigida, in vinum versa, scilicet pretiosum, rubrum, vel ignitum, hoc significat: hominis substantiam conditione vilem, imbecillitate pallentem, morte frigentem; in Resurrectionis gloriam commutandam: quæ est æternitate pretiosa, gratiâ colorata, Spiritu immortalitatis ignita. S. Ambros. f. 19. de Epiph.

Lazare veni foras. Joan. 11. 43. Magna vox Salvatoris, quâ Lazarum suscitavit, symbolum est magnæ tubæ, quæ sonatura est in communi resurrectione. Theophylactus hic.

Ex Patribus, & aliis.

Dormire morti simile est; evigilare resurrectioni simile est. S. August. f. 120.

Videbis corporeum hoc amiculum, quod cum morte dissolutum fuerit, ex iisdem rursus contexti, atque componi; non hac crassa, graviq; texturâ, sed æream tenuitatem, atq; subtilitatem, filio reconcinnatâ, atq; tectâ: ut & adsit tibi, quod diligis; & in meliori, atq; amabili magis, pulchritudine denuò restituitur. S. Gregor. Nys. dial. de anima, & resurrect.

Tempus, ut cum ver Dominici adventus ariserit, corporum nostrorum matura tunc viriditas vitalem resurgat in messem, nescituram jam finem, nescitura canitiem, non passura falces, nec flagella sensuram. S. Chrysologus f. 103.

Inter omnia Resurrectionis Symbola, quæ vera sunt, nullum similis argento vivo: hoc enim, si manu deducas, in minutissimas partes, mox ut eas rursus manu conjungis, in pristinam formam redeunt. Cornelius in Ezech.

37. 3.

Miscellanea.

Alia corpora Sanctorum, qui dormierant. &c. Matth. 27. 52. Quares: an hi sancti, post resurrectionem rursus sint mortui? & ad sua monumenta redierint? an verò manserint vivi, & gloriosi perpetim? Aliqui censent eos rursus esse mortuos. Itâ Theophylactus, Euthymius &c. Verius alii censent, Sanctos hos non amplius mortuos; sed surrexisse ad vitam immortalem: tum quia hoc decebat Christum; ut fructum mortis, ac resurrectionis suæ, itatim ostenderet in beata hac Sanctorum resurrectione: tum quia animæ horum jam erant beatæ; ac proinde par erat, eas non uniri corporibus, nisi gloriosis, & immortalibus. Porro quinam hi Sancti fuerint, qui cum Christo surrexerunt, non plane liquet. Verisimile est imprimis eos fuisse, qui peculiarem ad Christum relationem, vel parentelâ, vel promissionis sibi factâ, vel typi, & figuræ, habuere: uti fuere Adam, Abraham, Isaac, Jacob, Melchisedec, David, Job, Jonas, Moyses, Josue, Samuel, Ilaias, Jeremias, Ezechiel, alique Prophetæ. Cornelius hic.

Viderunt juvenem. Marci 16. 5. Vident juvenem; ut cernerent nostræ Resurrectionis ætatem: vident juvenem, quia nescit Resurrectio senectutem; neque ætates recipit æterna perfectio. S. Chrysol. f. 82.

Tabitha surge. Act. 9. 40. Cum Deo sint omnia præsentia; ille, qui moritur, si iterum suscitandus ad vitam, non accipit sententiam finalem: nec est in cælo, nec in Inferno; nec in purgatorio; sed ejus anima, tanquam in deposito est, in certo loco à Deo ordinato. Sylveira hic.

Canet tuba. 1. Cor. 15. 52. Quæ est ista tuba? quæ inferis infert bellum, sepulchrorum resolvit moles, intonat mortuis vitam, resurgentibus in lucem perpetem dat triumphum. Quæ est? illa, quæ Dominus dixit Joan. 5. 25. mortui, audient vocem Filii Dei. S. Chrysol. f. 103.

Fiducia Christianorum, resurrectio mortuorum. Tertull. l. de resurr.

Excitabimur, æterna habentes corpora; omnes autem similia. Sed si quis est iustus, corpus accipiet celeste, ut possit cum Angelis dignè conversari. Si verò peccator est, accipiet corpus æternum, quod sufferre possit poenas peccatorum; ut perpetuò in igne ardeat, & nunquam dissolvatur. Et justè utriusque his ordinibus Deus hoc præbebit: nihil enim sine corpore à nobis gestum est. Blasphemamus per os, oramus per os, expiamus per os: luxuriamur corpore; casti sumus per corpus: rapimus per manum; eleemosynas damus per manum &c. Cum igitur in omnibus cooperetur corpus, etiam in futuris fructum ejus percipiet. S. Cyrill. Jerol. Cat. 18.